

populum præditus fuit: quam etiam mox contra blasphemum Goliath declaravit, cum blasphemias illius, quas contra Deum ac populum eius effundebat, ferre non posset. *Intelligentia manuum*, prudentia est in rebus gerendis. Sunt hæc duo summè necessaria ad pactum ac moderationem populi. Ob eam causam diuinitus his virtutibus instructus est Dauid per spiritum Dei, à quo cor eius à die electionis, ac deinceps imbutum esse legitur. 1. Sam. 16 & cap. 18. legimus, quod Dominus fuerit cum eo, seq. prudenter in omnibus gesserit, ita ut Saul eum timere cœperit. Notabimus ergo hoc loco, non solum quæ requirantur ad hoc, ut populi probè pascantur ac regantur: sed & unde illa, & quando, & quibus dentur. A Deo videlicet, illis quibus populum suum, placatus ac propitius, ad pascendum, non ad affligendum tradit.

Quoniam autem in Dauide typus Christi boni pastoris præcessit, ideo Prophetæ Christum Dauidem vocant, ut Ezech. 33. ubi sic legimus: Et suscitabo illis pastorem unum, qui pascat ea, seruum meum Dauid: ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum. Hic videlicet est pastor ille, qui nos non terreno alio, sed æternæ vitæ & spiritali pabulo summa cum integritate & intelligentia pascit, & Spiritu sancto moderatur, ducit ac reducit.

PSALMVS LXXIX.

PSALMVS ASAPH.

ARGUMENTVM PSALMI.

Argumentum huius Psalmi tria habet. Primum cõqueruntur Israëlita ad afflictum de vastatione templi & vrbs Ierusalẽ, de q. occasione suorum per gentes facta. Deinde ad precandum cõuertuntur, cum pro hostium vltione, tum pro sui liberatione. Tertio, de honorari Deo pollicentur. Quod ad historiam attinet, incertum est, ad temporane Babylonica captiuitatis, vel vastationis per Antiochum factæ, respiciatur. Quamquam de vastatione quæ post Antiochum per Demetrium facta est, 1. Mach. 7. ita scriptum legimus: Et comprehendit ex eis 60. viros, & occidit eos in vna die, secundum verbum quod scriptum est: Carnes sanctorum tuorum & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Hierusalem, & nõ erat qui sepeliret. Quod certe de hoc Psalmo sumptum est, ut conspicuum sit, illum iam antea decantatum fuisse in Israël. Verum non est hic anxie immorandum: cum satis sit ad edificationem, si cum virga disciplina Dei, tum affectus afflictorum expendantur.

VERS. I.

Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in acervos lapidum.

2. Dederunt cadavera seruorum tuorum escam volatilibus cæli, carnem sanctorum tuorum bestis terræ.

3. Effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Ierusalem, nec est qui sepeliat.

4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.

LECTIO.

In acervos lapidum.] Græcus & vulg. Latina: In pomorum custodiam. Hieronimus: In acervis lapidum.

Vers. 1.

Pagninus: In acervos.

EXPLANATIO.

Quatuor hisce versibus pij in populo Dei, miserè afflictio & oppressio, querimonia satis lugubri aures Dei pulsant. Queruntur autem primum, gentes venisse in hereditatem Dei: Deus, inquiunt, venerunt gentes in hereditatem tuam. Aptant verba ad exprimendum affectum animi super indignitate rei commoti, ac plurimum lugentis. Non dicunt, *Venerunt alieni & exteri in terram & urbem nostram*: sed, *Venerunt gentes*, natio non solum impia & incredula, sed & nomini tuo inimica, ò Deus in hereditate tua. Indignum planè est, si gentes incredulæ irrumpant in hereditatem Dei, quod perinde est ac si apri syluestres veniant in vineam aliquam selectam, vel lupi rapices in ouile ouium. Dolent ergo non tam de suorum quam hereditatis Dei vastatione: ut appareat, affectus huius Psalmi non esse simpliciter quorumuis Israëlitarum secundum carnem, sed tantum eorum, qui inter eos pij erant.

Magna est sanctorum istorum fides. Licet innumeris esset iste populus & malis & peccatis repletus, ut siue illorum vitam & conuersationem, siue etiam miseriam & calamitatem inspicias, nihil minus appareat quam hereditas Domini (quomodo enim capiet hoc ratio, fieri posse ut hereditatem suam Deus usque adeò deserat, ut gentium libidini exponatur: deinde eum populum esse peculiarem & hereditarium Dei populum, qui adeò viuat impiè?) tamen isti constanter, idq. in conspectu Dei clamant & dicunt: *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam*. Tenent ergo firmiter, hereditatem Dei fermento impiorum, deinde & irruptione gentium pollui ac vastari posse: at prorsus ita extingui, ut non sit hereditas Dei, nullo modo posse. Teneamus & nos istam Ecclesiæ Christi imaginem firmam & inconcussam, ut nihil dubitemus, ut occupetur ab impijs cum pseudochristianis, tum Turcis, nihilominus ita permanuram, ut non cesset ad finem usq. Mundi, quò minus sit Ecclesia Christi, ut & nos hodie clamemus: *Christe, venerunt gentes in Ecclesiam & hereditatem tuam, quam à Patre accepisti, & precioso sanguine tuo redemisti, tibiq. peculiarem adiunxisti*.

Polluerunt templum sanctum tuum.] Quamquam per se satis sit indignum, si gentes irruant in hereditatem Dei, cum qua nihil habent commercij: prosequitur tamè Propheta illatam hereditati Domini contumeliam. Erat in hac hereditate Domini templum Dei, erat vrbs regia Hierusalẽ, erant sancti ac serui Dei, erat illustris gloria, quam is populus coram vicinis nationibus nomine Dei sui multis magnis